QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA

MANE IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXII. IANVARII, M. FRANCISCO QVIQVEBEVF, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

678

An peripneumonicis dulcia?



PVLMO pars princeps, doloris expers, ſpiritus ἐργαστήριον, inſtrumentum ſpirabile vocale, ſolis quæ reſpirant & collum habent conceſſum animalibus, focus ſitis, parenchymate conſtans leui, raro, molli, prætenui, foraminuliſque pertuſa tunica à pleura propagata obducto, triplici vaſorum genere retis modo implicato, ob motum indefeſſum, ſubſtantiam & nutritionem ſibi propriam & familiarem, patitur omne genus morbi: organicum in obſtructione à calculo, ſanguinis grumo, crudo tuberculo: commune in ſolutione continui ab vlcere lethali: ſimilare in ſimplici intemperie, quæ frequentiùs ſibi adſciſcit compoſitam, vnde peripneumonia; ſyſtrophica viſceris ſpumoſi phlegmone eryſipelatodes cum febre acuta.



PERIPNEVMONIÆ non vna ſed multiplex idea, in humore morbifico, natura atque ſitu partis obſeſſæ poſita: hinc, modo phlegmone, alias eryſipelate, nullo etiam præuio affectu, pulmo conflictatur; ſanguis enim ſubſtantiâ tenuis, temperamento calidus, multa & effera bile perfuſus, qualitate δριμὺς καὶ διαβρωτικὸς è dextro cordis ſinu per venam arterioſam in pulmones vehementiùs excuſſus, non modò venas & arterias, verumetiam totum ipſorum corpus præter modum implens, coarctatur, putreſcit & pulmoniam parit, velut ῥευματώδης è cerebro deſtillatio. Sæpius verò aliis morbis ſuccedit, anginæ, aſthmati (noctu magis quàm interdiu periodicè recurrenti) pleuritidi (mochlico curandæ) dum humor derepente κατὰ μετάστασιν, καὶ κατ' ἐπιγένεσιν in eoſdem pulmones regurgitat.



MORBORVM ſimilitudo incautum ſæpe vulgus decipit & medicum: dolor prorepit ad iugulum, febris adeſt acuta, reſpiratio difficilis, inanis tuſſicula, ſputum cruentum, ſitis inexhauſta, ἀσιτία, corporis iactatio, an illico de pleuritide aut hepatitide cogitandum? minime gentium, cùm hæc ferme omnia pulmoni quoque inflammato aſſideant; quo fit vt actione duntaxat lęſa, doloris proprietate, & propriis accidentibus hepatitis à pleuritide, hęc à peripneumonia, iſthęc autem ab illis ſymptomatum vehementiâ diſtinguatur; dyſpnœâ videlicet & orthopnœâ, ſpiritus ſtertore, grauitatis ſenſu, genarum rubore, linguę ſiccitate, ſcabritie, rubedine, flauedine, nigredine, vrina (quę morborum thoracis index) tenui & acri, pulſu magno, molli, inęquali, & quandoque δίκροτῳ, tuſſi moleſta, duplici præbente originem peripneumoniæ, ſiccę & humidę.



MEDICVS is maximè probatur, qui morborum cognitâ eſſentiâ, ęgrotantis temperie, perpaucis vtens remediis, ipſorum per contraria curationem molitur; habita ratione ſexus, ętatis, regionis, tempeſtatis anni, vitęque anteactę: viros namque ſępius inuadit peripneumonia quàm mulieres: iuuenes (qui magis periclitantur) vel ætate prouectos, quàm ſenes aut pueros: eos qui paludoſa ac decliuia incolunt loca, quàm qui montana: hyeme & aquilonio flante, quàm ęſtate & fauonio: exercitata corpora, quàm otioſa: quibus ſi vehementer inflammentur aortæ, vt in latus incumbant, & corpus ea parte reſoluatur, & coſta exterior liueſcat, ἀστροβλῆτοι vocantur, qui non minùs intereunt quàm ἰσχνόφωνοι atque ὄργηλοι, coryza & ſternutatione correpti, niſi liberali hęmorrhagia, parotide (etiam non expectata ſuppuratione ferro potiùs quàm pyrotico aperienda) aut partium inferiorum ſuppuratione laudabili κατ' ἔξιν, non ἀνάπαλιν terminetur.



MEDICAMENTORVM vſum & noxam, vt calidumne quippiam an frigidum ſit, tenuis an craſſę materię, primarum atque ſecundarum facultatum internuntius expendit ſapor, qui eſt humidi in ſicco quędam concoctio caloris beneficio facta, quam lingua guſtus organo αἰσθητηρίῳ bene téperata cognoſcimus, cuius nouem omnino notantur differentiæ; acer, ſalſus, alius ab amaro: acidus, auſterus, acerbus: dulcis, pinguis, ἄποιος: ex his dulcis ad amari generationem maximè conducens, guſtui ſuauis & iucundus, thoracicorum quidem eſt fœtura morborum, ſed peripneumonię potiſſimum, quam vt ex arte & exactè cures, phlebotomiâ ea parte qua dolor affligit (etiam ad animi vſque deliquium) febrem extinguito, plethoram minuito, cucurbitulis fluxionem auertito, ptiſanâ (frumentaceis omnibus eduliis præferenda) decoctâ Neronis, potionibus acidiuſculis ex ſucco limonum, &c. ſitim ſedato, corpus balneo aquæ tepentis fumo & odore carentis, humectato & refrigerato, huic, non inedia (vt in hepatitide) at pleniore victu (modò non frigeant pedes) conſulito. Apage autem bechica & arteriaca, qualibet forma parata, vinum hippocraticum, ſapam, melicratum: vt quæ viſcerum augent phlegmonas, ſitim febrémque accendunt, perennem bilis prouentum ingenerant, ructus cient nidorulentos, præcordia inflant, vniuerſum denique abdomen ζυμώσει diſtendunt atque diuellunt.

Ergo peripneumonicis non dulcia. 125

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS SVART Cenomanus. Anno. R.S.H. 1626.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Hermanus de Launay.
M. Phil. Hard. de S. Iacques.
M. Elias Beda.

M. Franciſcus des François.
M. Ioannes du Cledat.
M. Nicolaus Rolant.

M. Franciſcus Leſpicier.
M. Franciſcus le Sage.
M. Georgius Cornuty.

